

Admodum R.dé Pater.

Admonuit me R.mus P.Generalis nostrae Societatis, ut scriberem R.V. quid sentirem de opinione illa, qua docet, praedestinationem divinam pendere ex praevisioe bonorum operum non sine gratia praeveniente factorum. Id ego libenter faciam tum quia spero R.V. in bonam partem id accepturam, tum ut P.Generali obsequar. Ego ex controversia quae olim fuit cum Academia Lovaniensi, existimabam sententiam R.V. esse, praedestinationem ad gloriam pendere ex operibus praevisis, praedestinationem autem ad gratiam efficacem infallibiliter salvantem esse ex mera Dei voluntate, et in hoc sensu hic ego, scriptis etiam opusculis, defendi R.V. apud Cardinalem Madrutium piae memoriae, qui Academiae Lovaniensi favebat, et tandem obtinimus Breve Sixti V quo repressa fuit persecutio, ut sic loquar, Academiae contra Societatem. At ex libro R.V. nuper edito, non sine admiratione cognovi sententiam R.V. esse, ut praedestinatio etiam absolute et simpliciter pendeat ex praevisioe operum, ut non praedestinatio, sed praescientia solum proprie dici possit. Obsecro autem R.V. ut consideret capita sequentia:

1° Sententiam praedestinationis mere gratuita in S. Augustino esse tam apertam et manifestam ut dubitari de ea re non possit nisi ab iis qui Augustinum non legerunt. Profert quidem R.V. pauca quaedam loca partim ex libris qui non sunt Augustini, partim ex libris Augustini, sed per consequentiam necessariam non deducta, cum in ipso Augustino sint infinita loca per expressa verba contrarium clamantia. Placet autem pauca ex multis annotare. Videat epistolas 46, 105, 106, 107, 148; ad Simplicianum q. II; De peccatorum meritis et remissione lib. 1, cap. 21 et 22; ad Bonifacium lib II c. 6 et 7; De praedestinatione Sanctorum c. 12 et 14; ~~ut ea doctrina non~~ De dono perseverantiae c. 19, 20, 21; Contra Julianum lib. I c. 3 et lib. VI c. 8; De correptione et gratia c. 2 et 13; in Enchiridio c. 99 et 100.

Ex quibus locis in lib. De correptione et gratia c. 7 posteaquam dixerat, electos non ex meritis, sed ex misericordia Dei separatos esse a reprobis, addit, eos electos esse ad regnandum cum Christo, et c. 13 dicit praedestinos esse in regnum Dei. Ne quis forte dicat ex Augustino praedestinos

nem ad gratiam esse sine praevisione meritorum, non autem praedestinationem ad gloriam.

2° Consideret R.V. post Augustinum nullos fuisse sanctos doctores, qui eum non sint secuti: eum enim aperte sequuntur sancti Pontifices Coelestinus, Leo, Gelasius, Gregorius; item S.Fulgentius, S.Prosper, Petrus diaconus, Beda, Primasius, Sedulius, S.Anselmus, S.Bernardus, S.Thomas, S.Bonaventura, et cum eis principes Scholasticorum, Scotus et Durandus et alii.

3° Cogitet sententiam S.Augustini esse valde conformem Scripturis Sanctis, et concilio Tridentino. Nam Scripturae et concilium referunt praedestinationem ad arcana sapientiae Dei investigabilia. Item docent fidem, poenitentiam et perseverantiam, sine quibus peccatores non salvantur, non esse solum dona Dei, quia non habentur sine gratia communi, quae dat posse credere, poenitere et perseverare, sed quia Deus dat credere poenitere et perseverare infallibiliter per ineffabilem gratiam.

4° Meminerit sententiam gratuita praedestinationis esse iam stabilem in Societate nostra, tum quia B.Pater Ignatius in Constitutionibus iussit, ut sequeremur S.Thomam, tum quia cum Card.lis Toletus, tunc Pater Toletus, anno 1561 docuisset praedestinationem ex bono usu gratiae praeviso, R.Pater Franciscus Borgia cum concilio Patrum iussit, ut ea doctrina non reputeretur neque defenderetur ullo modo, et ipse Card.Toletus ab eo tempore contrarium docuit, ut patet ex commentario in cap.9 ad Romanos, quod idem docuerunt semper gravissimi Patres ex nostris, P.Olavius, P.Emmanuel Sa, P.Ledesmius, P.Pererius, P.Parra, P.Augustinus, P.Suarez et alii plurimi.

5° Cogitet R.V. non sine causa S.um Augustinum, S.um Prosperum et multos modernos existimare, praedestinationem ex operibus pertinere ad Pelagianismum, quia qui hoc sentiunt non videntur admittere nisi gratiam qua possumus, non autem qua velimus et faciamus: hoc autem Pelagius docebat, ut dicit S.Augustinus in libro de gratia Christi. Item qui hoc sentiunt, interrogati, quis discernit iustum ab impio, quando uterque habet gratiam ad non peccandum vel ad resurgendum a peccato, respondere coguntur, cooperatio liberi arbitrii, non autem gratia Dei. Item qui hoc sentiunt non videntur

agnoscere necessitatem orationis sed solam utilitatem, quod saepe Stus Augustinus obiicit Pelagianis.

6° Cogitet R.V. sententiam de praedestinatione ex operibus praevisis esse noxiam Societati nostrae, quia coget nos semper dimicare cum Dominicanis, Franciscanis, et Augustinianis. Item dabit occasionem existimandi nos favere Pelagianis vel certo Semipelagianis. Denique hic notabitur Societas magnae levitatis et dissensionis inter nos.

Quare rogo R.V. ut hoc cogitet et nolit ut satisfaciat querelis hominum reproborum, trahere Scripturas et Stum Augustinum quo nolunt ire; sed potius accomodet praeclarum ingenium suum ad voluntatem Scripturarum et Sancti Augustini.

Ora pro me, amantissime Pater.

Gandavi, Bibl. Sem. maj. : Difficultates motae circa opusculum P. Lessii de gratia et praedestinatione circa annum 1610.

Le Bachelet, Prédestination et grâce efficace I, 156-158.

Eadem plusminusve: Auctarium p. 186-187.

(autograph. c. inscriptione ad quem, et sigillo)

I. Merlione Segretario

La Presidenza della Font. Commissione Centrale per l'Arte Secra, ritenuta fiduciosamente in attesa, in seguito a venerata perole dell'Em.mo Cardinale

A) Con la Rec. me Segreteria di Stato

VI - REAGIONE RISERVATA :

741

a. 1940 (25)